

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Augustanae Confessionis Historiam, Rectore Magnificentissimo, Serenissimo ... Friderico Augusto, Principe Regio ... A Recentiorum Quorundam Corruptelis Breviter Vindicatam Dabunt

**Wernsdorf, Gottlieb
Seeger, Johann Friedrich**

Vitembergae, 1705

§XVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-67830](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67830)

tum est, Lutheranorum & Reformationum hoc in Articulo sententias *substantialiter* differre.

§. XVIII. Negat porro *substantialem* mutationem Strimesius quia b.) *omissio elenchi eandem non inferat. In Confessione*, inquit, *cujuscunque articulis singulis subintelligi vel eadem (nempe elenchi in A. C. verba) vel similia videri necessario debent: Qui enim positive aliquid in Confessione factetur, ille id semper, quod secus se habet, diffitetur ac improbat. Ut proinde ommissio verborum istorum tautologia duntaxat evitatio habenda sit. Vid. Hex. p. 27. R. Positio & confirmatio Veri, est utique virtualiter rejectio & confutatio falsi. Interim sicut Scriptura non modo πρὸς διδασκαλίαν, sed etiam πρὸς ἔλεγχον est data 2. Tim. III, 17. ita plurimum interest religionis, ut non modo verum dilucide ponatur, sed falsum quoque clare & perspicue improbetur. Scopus enim Symbolorum præcipuus est discretio ab hæreticis, qui nisi expressus adhibeatur elenchus, obtineri non potest. Die Wahrheit der religion ist schon halb verlohren / so man keine antithesin treibet / und nicht schreyet: hütet euch vor den falschen Propheten: recte olim monebat Flacius wieder etliche Unwahrheiten Jo. Menii Jene anno 1558. lit. f. Scriptum est: Non dicas falsum testimonium. Non debui itaque probare tacendo mendacia alterius. Nam & hoc falsum testimonium est, non refutare mendacia, scribit Pence-rus in narrat. bist. de Coena p. 40. Instat Strimesius p. ead. similem, imo prolixiorum multo improbationem omissam deprehendi in A. C. invariata exemplaribus Cbytrai & Coelestini inter se collatis quoad Art. XIII. & XVIII. Que tamen ommissio nihil prohibuerit, quo minus utrumque exemplum pro genuino semper sit habitum. In plurimis quoque articulis e. g. III. IV. VI. VII. &c. ne a prima quidem adoratione improbationem contrariorum adjectam, nihilominus subaudiendam fuisse. Sed respon-*

respondetur: Aliud est elenchum *incuria, forte, aut negligentia omitti*, quod accidit Coelestini exemplo: aliud *studio, consilioque expungi*. Illud oscitantiae describentis est condonandum: *hoc fraudem, & insidias sapit, usumque Symboli potiore enervat ac destruit*. Aliud quoque est *nunquam adjicere*, aliud *adjectum removere ac tollere*. Illud ab arbitrio, prudentiaque contentium dependet: *Hoc autem veritati adversum, naturæ Symboli inimicum, & multis de causis suspectum est*. *Verba discrimen rerum (& sententiarum) indicantia non omitti, nedum expungi oportet*, iudicium est Orw. Gratii, seu Becmanni, c. Liebhardum p. 71.

§. XIX. Urgetur c.) *Philippus ergo, una cum Confessione mutata, insimulabitur hæreseos, si illa a non-mutata essentialiter differt*. §. VII. p. 20. Resp. 1.) quæ substantialiter differunt, non statim ut orthodoxum & hæreticum differunt. Lex & Evangelium, substantialiter differunt, nec tamen illa est orthodoxa: hoc autem hæreticum. 2.) Ipse Strimesius negat, quenquam postulandum esse hæreseos qui ab A. C. deflectat, in eoque ait differre Confessionem a Symbolis Oecumenicis, quod ab *illa* deflecti absque hæreseos suspitione possit, ab *bis* non possit. Quod si est, quo jure nunc inferet: *hæreseos postulari Philippum, si statuatur, Eundem substantiam Confessionis Nostræ mutasse?* Num hæresin de Coena conceperit fovitque Philippus jam non est disputandi locus. Id certum est, vivo etiamnum Luthero eundem nutare coepisse hoc in Articulo, eo autem defuncto cum Calvino hujusque sociis palam colluisse. Quod vel ex iis quæ cum *Bremensibus, & Palatinis* sunt acta, satis elucescit: Et *Selneccerus* qui in eodem cum Philippo cubiculo dormivit, ex ore soceri sui *D. Dan. Greferi* commemorat, Phi-

E

lippum